



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculæ

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Pro Thesi D. Alexandri Joannis Baptistæ Lambert de Torigny.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

liis tuis vestigiis insistant. Sed non video præripi tibi à me nobilissimi triumphii materiem, dum modestiæ tuæ vim facio. Quare, &c.

A L I A.

Pro Thesi D. Alexandri-Joannis-Baptista Lambert de Torigny.

Quid me cupidum pacis & rixarum osorem, si quis est, Philosophicum in stadium perennibus discordiis ac contentionibus obnoxium pertrahis, Nobilis & ingeniose Adolescens? Saltem si tuâ causâ mihi veniendum foret in arenam; si quo contra adversariorum tuorum tela clypeo, aut etiam ense ad laceffendum indigeres, paratum me ultrò, nec quamcumque fortis aleam pro te subire detrectantem invenires.

At illum provocari à te in singulare certamen, qui nihil tam doleret, quàm tibi nocuisse, hunc eligi hostem ex omnibus, qui tibi ante omnes amicus videri velit: estne hoc, amabo, humanitatis illius, aut etiam indolis bonæ ac candidæ, quam in te nemo non suspicit, nemo non amat?

Esto ingeniosus, uti soles; perspicax, eruditus, & in dissolvendis Philosophiæ ambagibus tam felix fortunatusque, quàm visus es non ita pridem, haberi possis; at vereor, ne parùm amicus videâre, & hoc, quo me laceffis hodie, facinus, rerum tuarum gloriam aut deterat, aut etiam obscuret.

Quid? Litem tibi intendi à me perperam credis? aut fortè fictum animi gratiâ videtur illud quod queror? Vis quempiam de controversiâ nostrâ statuamus arbitrum? Age, nihil moror: ademus Tribunal illius Judicis*, quem tibi ipse inter cæteros maximè velis contingere: quem reverentis & amas ut patrem, & à quo vicissim paternæ caritatis studio atque affectu diligeris. Magistratum illum intelligo hæredem avitæ probitatis, quem habere causæ suæ judicem nemo non ambiat: cuius creditas bene res suas ac fortunas quisvis arbitretur; cujus in judicio Litigator etiam pertinacissimus ultrò ac volens acquiescat: adeò omnino opinione sagacitatem cum diligentia, probitatem cum urbanâ comitate, facilitatem cum æquitate laude componit!

Equidem, ut fatear, quod res est, cum sit tibi fidelis, magnificus ac constans amicus, si quæ unquam fuit, unum vereri possis, ne in tuorum amicorum partibus rigidum se præstet vindicem, & mihi violatum à te jus amicitiae conquerentem iudice Patronus existat.

Quanquam ne metueas: absit, ut ullum patris tibi esse cum eo dissidium, quicum arduissimam vere necessitudinem omni officiorum genere defendas. Malim ego vel ingrata defungi oppugnantis provinciâ, si modò triumpho tuo servitorem, & quem tam auspiciatò ingredi paras laudis gloriæ campum, hunc mihi gratuler aperiri.

ALIA

* D. Lambert in Curia Libellarum supplicum Patris Adolescentis Patruus.